

officiorum. Quibus Dei misericordia complacari deberet, per negligentiam magis exacerbata permittit nos necessitatem pati domino tamen abbate peragente.

Res enim victualium tam in caseis quam porcis et frugibus utique prediorum nostrorum pro denariis adeo dissipat, quod nec nobis nec sibi proveniant aliquatenus in usum.

Preterea predia, que dominus abbas N. antecessor suus reliquit, integra vendidit, ex magna parte videlicet in N., pro V libris.

In N. predium obligavit uni civium in anno preterito; de presenti vero vendidit peremptorie, quod nos ipsi civi de ore ad os exposuimus fieri non debere, nec tamen destitit, et sextam mediam libram de novo contulit sibi abbate dicente: „Quamvis donatio mea sine fratrum consensu non valeat, alio modo denarios habere non potui; de consequenti non curo“.

Insuper antecessor suus X libras consignavit A., ut predium vineti nobis exinde solveret, si reperisset, et interim libram nobis pro ipsis persolveret, quas similiter subtraxit.

Predium N. valens XL^a libras vidua quedam tenet et filio suo pepigit ipsum post mortem suam, octo libris nobis collatis. Cui nunc ipse predium ipsum pro X libris posuit statuens duas libras annuatim de ipsis ad usuram. Quod cum nos in capitulo reclamaremus, ira commotus in contumelias prorupit.

Hec et hiis similia nobis incusantibus presbiterum A. specialiter invasit dicens, quod, quamdiu superviveret, nullatenus vel hoc vel aliud solveret. „Hoc non placet mihi“, cum respondisset presbiter, ipsum conviciis est aggressus. Post prandium vero laico concessit, ut ipsum fustigaret baculo suo simul ipse persequens illum.

Insuper ministro Dei N. voluit idem predium vendere, set uxore cum filio petente nos simul reclamavimus.

Preterea domum lapideam in N. comparavit pro L libris alibi vendens predia, que potuit, set postmodum domum cum suis appendiciis vendidit; sicque priora predia perdidimus et domum.

Preterea predium S. valens annuatim X solidos, quod dominus de N. lippgedingen coemerat, quidam miles attrahit sibi, nec aliquis contradicit, cum plus quam LX^a annis ipsum quiete possederimus. Insuper dominus de N. aliorum curam prediorum pro suo minatur attrahere velle.

Hec et hiis similia multa detrahuntur cenobio sine contradictione sua vel alicuius, quia fatetur se satis habere, quamdiu supervivat.